



# NOVA POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI M DCC XXI.  
DIE V. NOVEMBRIS.

**M**Adritti , a. d. 30. Sept. Classicula nauium duodecim, cui Ferdinandus Chaconius præerat, Vera Cruce Gades appulsa, merces 14000000. constantes adportasse dicitur. Gibraltar nuntiatur, Somelsdyckium , Vicarium classis præfectum, cum quatuor nauibus exiisse , vt piratas in freto Gaditano obseruet. Stuartum trierarchum eodem accessisse , atque ducentos & nonaginta Anglos qui a Marochiensibus fuerant capti , secum aduexisse.

Paris , a. d. 3. Octob. Romignum nuper Doctores Sorbonicos in publico conuentu sic allocutum ferunt: Si meo „mihi rem arbitrio liceret gerere, nihil „prius vobis faciendum suaderem ,

„quam vt de viro nunc cogitaretis, qui „Syndici deinceps admoveatur muneri; „sed litteris , quas hodie a Rege ad vos „accepi & mecum adtuli, in aliam abire „sententiam iubeor. Atque his dictis epistolam Regis protulit, quam his fere verbis scriptam fuisse perhibent. Equidem non ignoro , quod cum ego Syndicum vobis constituerem, inventi fuerint male feriati homines , qui , nescio, quo prauo animi acti impetu , turbare voluerint pacem & tranquillitatem, quam ego vobis omni tempore sartam teatamque conseruare studui. Quid? quod in manus nuper mihi peruenit detestandus libellus, qui , etiamsi in majestatem , quam Deus regibus concessit & sanctam omnibus esse voluit, valde est iniurius , typis tamen exscriptus & cum aliis communicatus fuit. „Quam

„Quam ob caussam rerum capitalium  
 „procuratori dedimus in mandatis, vt,  
 „quis auctor fuerit, tam nefandi libelli,  
 „exquireret sollicitius, qui si inuentus,  
 „& ex tenebris, quibus adhuc occulitur,  
 protractus fuerit, debitas impietatis  
 „pœnas suo merito luet. Hoc autem  
 „tempore, consilio imprimis Ducis Au-  
 „relianensis factum est, vt has litteras  
 „ad vos scriberemus moneremusque,  
 „ne quidquam eorum immutaretis, quæ  
 „Romignii caussa nuper a nobis sunt  
 „constituta, sed eum potius tantisper  
 „agnosceretis *Syndicum*, usque dum  
 „aliud nobis placuerit. Ceterum lit-  
 „teras hasce nostras tabulario vestro in-  
 „ferendas curabitis. Prælectis his litte-  
 „ris, ita loquutum aiunt Romignum,  
 „Regibus datum imperium, obsequii  
 „autem gloriam relictam esse ciuibus,  
 „sine me monitore omnes intelligitis.  
 „Equidem multis adduci poteram ra-  
 „tionibus, vt *Syndici* me abdicarem  
 „munere; sed obsequium, quo Regi  
 „meo deuinctus sum, mihi neutiquam  
 „permittit, vt decedam a statione in  
 „quā regis auspiciis olim fui impositus.  
 „Rex, qui initio me trium modo mensū  
 „voluerat esse *Syndicum*, hodie, nullo  
 „præfinito tempore hac denuo me digni-  
 „tate ornat, quam tamen breuissimi fo-  
 „re temporis mihi persuadeo. Et quam-  
 „quam *Syndici* vestri munus, cum am-  
 „plissimo honore coniunctum est, non-  
 „nisi ingratum tamen illi accidere pote-  
 „rit, qui vobis inuitis id consequitur.

*Romæ, a. d. 11. Octob.* Proxime præ-  
 terlapsa saturni die Pontifex maximus  
 in ædem, quæ Angelis tutelaribus dica-  
 ta, est se contulerat, in qua supplicatio-  
 nes publicæ per horas quadraginta cele-  
 brari solitæ, instituebantur: inde ad  
 ædem S. Francisci, ad litus positam, est  
 profectus. Vicarius Legatus, qui Aue-

nione est, litteris ad Pontificem missis  
 petiit, vt sibi ingens aliqua pecuniæ  
 summa submittatur, id enim statum  
 præsentem rerum, qui miserrimus om-  
 nino est, requirere, vt commeatus suf-  
 ficiens ac medicamenta, quibus pestis  
 arceri, aut vis eius quocunque modo  
 infringi possit, mature comparari  
 queant.

*Bononia, a. d. 14. Octob.* Ferunt Pon-  
 tificem maximum quartam partem re-  
 dituum ecclesiasticorum, Portugalliae  
 regi concessurum, vt prouentus Portu-  
 gallici *Præfulis*, quem Patriarcham nun-  
 cupant, augeantur, atque is pro digni-  
 tate viuere possit: qua ratione reditus  
 eius annuos septuaginta millibus Val-  
 lensium auctum iri certum est.

*Ex Portu Liburno, a. d. 10. Octob.* Etsi  
 Legatus Vicarius, qui Auenione est,  
 nihil intermisit, quod ad arcendam ab  
 eadem vrbe pestem, necessarium visum  
 est tamen nihilo minus ferunt, prohi-  
 beri non potuisse quin malum hoc, eo  
 pertingeret.

*Genuæ, a. d. 11. Octob.* Nupera die  
 lunæ cum Senatores Reipublicæ conue-  
 nissent, quindecim ex viris principibus  
 nominati fuerunt, ex quibus Dux deli-  
 geretur; postridie vero numerus eo-  
 rum ad sex diminutus fuit, ex quibus  
 tandem concordibus omnium suffragiis,  
*Cæsare Franchi*, dignitate ducali orna-  
 tus est. Nauis quædam Gallica, por-  
 tum nostrum intrare volens, admissa  
 non est, eo quod ex Languedocia ve-  
 nit; Patres enim nostri maximam adhi-  
 bent curam ac diligentiam vt Pestis a  
 finibus nostris arceri queat. Quam-  
 quam enim litteris ex Prouincia allatis  
 lætissima quæque nuntientur, comper-  
 tum tamen est in solo tractu Gabalensi  
 vrbes duas, & viginti quinque pagos  
 in alio hoc conflictari, quin & exerci-  
 deli.

tum Gallicum ab eo non amplius immunem esse.

*Londini, a. d. 4. Octob.* Hesterna die Rex in Arce Kensingtonia in *Amplissimo Consiliariorum* conuentu de peste, quæ in Gallia sœvit a Regnis nostris arcenda deliberauit. Naui quadam Massiliensi, in Americam profecta, Cuscum, quæ Peruani regni vrbs est, luem hanc esse perlatam, confirmant.

*Alia, a. d. 10. Octob.* Fama hic est *Parlamentum Hibernicum* pari modo, vt Scoticum, cum Anglo coadunatum iri. Interea tamen Proceres hibernici, quos *Pares* appellant, qui hic nunc morantur a Rege id in mandatis acceperunt, vt Dublinum se quantocius recipiant, ibidemque munera sui partibus perfungantur.

*Bruxellis, a. b. 17. Octob.* *Excellent. Marchioni* Prieo meliuscule iam esse cœpit; quapropter non senatus tantum noster, sed & quam plurimi alii summæ dignitatis viri, eum iam salutarunt.

*Hafnia, a. d. 11. Octob.* Norrisius classis præfctus, a Legato, qui apud nos est, Britannico, hesterna die ad epulas lautissimas adhibitus fuit. Rex noster indulgentissimus vna cum principe hæreditario eiusque coniuge, nec non principe regia, nudius abhinc tertius *Fridericoburgo*, *Walloam* concessit, vt ibi natalem suum solamniter celebret; hodie namque complebit annum ætatis quinquagesimum. Præmissa eo iam sunt marique deuicta tormenta maiora duodecim. *Lawius*, qui nuper vna cum filio huc accederat, iam & regis adeundi facultatem habuit & cum plerisque Ministris regiis epulatus est.

*Alia, a. d. 18. Octob.* Mercatores nostri sperant, fore, vt denuo nauigatio- uem magno cum fructu, ac longe tutius, quam antehac instituere possint

in *Grönlandiam*, siue terram viridem, quæ est, regio arctica; quippe quum nautæ quidam ex Freto Dauisi reuerentes nuntiant, homines nostros a barbaris terram illam incolentibus, quam humanissime fuisse exceptos.

*Dresda, a. d. 17. Octob.* *Flemmingius Comes*, idemque summus exercitus Dux, ex morbo, quo adfligebatur, conualuit, iamque hesterna die consilio sanctiori, quod in aula fuit institutum, interfuit.

*Ex Holstria, a. d. 22. Octob.* Litteris Petropygensibus nuntiatur, legatum Cæsareum, Comiti *Kinskyo*, die 6. mensis huius, Magnum Russorum Ducem solemini ritu conueniendi, & quæ ab Imperatore in mandatis accepit, expoundingi facultatem concessam esse. Iisdem litteris & hoc confirmatur classem Russorum ex mandato Magni Ducis, cœpisse iam exarmari.

*Lipsiae, a. d. 22. Octob.* Litteræ, quas Hafnia d. 14. scriptas accepimus, perhibent classem Anglicam inde iam soluisse, cum eaque & *Lawium* vna cum filio in Angliam profectum esse.

*Varsavia, a. d. 18. Octob.* Petropygo nuntiatur, Magnum Russorum Ducem, quemadmodum pollicitus est, in eo futurum, atque allaboraturum, vt in conuentu Brunsvicensi, omnia, quæ pacem inter Suecos, atque Polonos sufflaminare possent, componantur. Legato Cæsareo, Comiti *Kinskyo*, in aula Russica omnem honorem haberi.

*Alia, a. d. 22. Octob.* Quoniam meus, quem nobis Turcæ incusserant prorsus iam evanuit, multi dubitant, Regem, tempore, quo exspectabatur ad futurum esse. Leopoli accepimus Præfectum Choczimi cursorem denuo mississe ad summum copiarum Polonica- rum Ducem, cum litteris, in quibus ei

pro donis sibi missis, inter quæ telescopium in Anglia præparatum erat, verbis conceptissimis gratias agit, rogatque, vt duo sibi porro eiusdem generis telescopia, pretio quocunq; comparanda, proculret ac mittat, quod iste facturū se pollicitus est in litteris ad eum datis simulq; rogauit, vt ad Chamum Tartarorum scribat eumque moneat ne suis Poloniam in posterum hostilibus excursionibus turbare permittat, quemadmodum anno præsenti sæpius factum est. Ceterum fama ex finibus turcicis ad nos perlata est, exercitum Turicum in hiberna discessisse, quam ob caussam & regni nostri copiis idem est demandatum, relictis tantum locis aliquot custodiis, ad latrones, quorū hic maximus nunc est numerus, obseruando tutioraque reddenda itinera. Constitutum præterea est præfidiariorum in singulis propugnaculis augere numerum, vt si res postularet, præsto sint vbiique, quorum opera ad coercendam illam latronum colluisionem vti liceat. Ex Liuonia quoque scribitur Russorum copias, quæ ibi fuerant, mandata accepisse, vt in Patriam redeant, iamque & Cosaccos, quorum erant qnindecim millia, prope Kiozzo hiberna sumfuisse.

*Viennæ, a. d. 29. Octob. Hodie Cel. físsimus Princeps Eugenius, ex Morauiâ, quo se ante dies 14. cum quibusdam summis ducibus bellicis contulerat, feliciter est reuersus, vt consiliis, quæ res maximi momenti concernunt, interesse possit. Accessit præterea ad urbem, Excellentissimus Comes, Fridericus Carolus Sebönbornius, qui Imperatori Augusto a secretoribus consiliis est, ex arce Sebönbornia dicta. Illustrissimus præterea Baro Haagius, ex Saxonia ad aulam Imperatoris & viduæ Iosephi missus lætissimum adulit nuntium, Serenissimam Principem Electoram, eandemque*

Archi-Ducem Austriacam, Mariam Iosepham, die 24. huius mensis Principem filium iterum peperisse.

*Alia, a. d. 1. Nov. Superiori die Iouis Imperator Augustus cum vniuerfis Aulæ proceribus ex arce suburbana, quam Fauoritam vocant, Schönbrunium se contulit, ac postquam ibi phasianarum auium iaculatione se met oblectasset, in Augustam arcem, quæ in vrbe est, se recepit, in qua hiemem integrum transmittere decreuit. Ratisbona nuntiatur præfectū Castrī Kehlæ, ad Impetii conuentum litteras dedisse, in quibus significat Rhenum octo continuis diebus ita creuisse, vt inundatione sua, vallum castrī eiusdem dimidia viri statura superfuderit, quin & partem pontis maioris abripuerit; adeoque si porro creuerint aquæ, periculum esse, ne castrum hoc prorsus absorbeat. Quapropter petere se vt aut sumtus, vallo reficiendo necessarii, quamprimum sibi mittantur, aut si secus, quid consilii capere debeat, significetur.*

*Posonii a. d. 5. Nov. Plures in dies aduentare videas, ex inclytis statibus, qui congressui, quem Regis indulgentissimi nomine, Palatinus indixit intersint deque tributis ac militum hybernis constuant. Interim a. diem 6. Nov. consultatio instituetur prima, licet non paucos, quos adesse oportebat iam, itinerum difficultates, quo minus aduenire potuerint, impediuerint hucusque. Ex Comitatu Liptouensi nuntiatur Perillust. Michaelēm Okolitsány, ICTum per Hungariam celeberrimum, animam reddidisse, cum hebdomadas complures colluctatus cum morbo fuisset. Ignoramus vero adhuc, cui partes, quas in Excelsa Commissione, quæ de religione dispicit, obtinuit, mandabuntur in posterum.*